



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 25. An ergo Beneficia Ecclesiastica nihil in se habeant, quod possit esse vendibile absque simonia vel injustia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

de suo nihil dat pretio æstimabile, nam fructus non dat, cùm necdum existant, nec ad ipsum pertineant, sed ad possessorem beneficij tum futurum; Jus autem ad illos est spirituale vel spirituali ita annexum, ut spirituale præsupponatur, & temporel semper fundetur & referatur ad illud; spirituale autem vel aliquid sic connexum cum spirituali propriè non spectat ad hominem, sed illius Dominus est solus Deus, & saltem tale aliquid non est pretio temporali æstimabile, ut in quæst. præced. dictum est, & iterum dicetur à n. 152., ergo conferens accipiendo pretium nil dat vicissim de suo, quod fit pretio æstimabile, ergo facit injuriam danti pretium: atque ex hoc patet rectè damnatam esse propositionem relatam.

§. 4. In aliis materiis Simoniæ, ubi aliquid spirituale datur pro temporali, *Castrop.* T. 17. d. 3. p. 1. n. 6. dicit quandoque intercurrere injustitiam, quandoque non, si enim vendens non ideo patiatur incommodum, nec amittat ullum emolumen-
tum, dicit fieri injuriam ementi, quia vicissim nihil fit huic pretio æstimabile; si autem vendens patiatur incommodum, vel amittat emolumentum, dicit non fieri injuriam, quia pretio respondet aliquid, quod est pretio æstimabile, & ita etiam sentiunt *Swar. Val. Bonac. Laym. Fil. Az. Lugo de Just.* d. 18. n. 53. *Rayn. L. 2. S. 1. c. 4. n. 10. Pirb. L. 5. T. 3. n. 175.*, verum sententia illa est quidem vera, si temporel detur velut pretium incommodi vel amissi emolumenti; si tamen temporel comparetur ad spirituale, & detur velut ejus pretium, omnino fiet injuria ob rationem antè datam.

Q. 25. An ergo beneficia Ecclesiastica nihil in se 123
habeant, quod posset esse vendibile absque Simonia
vel injustitia. R. Quamvis per beneficium
G 3 commu-

communiter nunc intelligatur complexū aliquod partim ex Jure exercendi aliqua ministeria spiritualia, partim ex Jure percipiendi fructus temporales ob tale ministerium, tamen, strictè loquendo, Jus exercendi ministeria spiritualia, dicitur Officium; Jus autem percipiendi fructus temporales simpliciter vocatur beneficium seu Præbenda. Quod ad Officium spectat, certum est illud esse intrinsecè invendibile, quia supposita institutione Ecclesiæ est spirituale, ergo pretio temporali inestimabile, quia spirituale est alterius & plane superioris ordinis. Quod attinet ad Præbendam, certum quoque est ex hac tenus dictis esse invendibilem Jure Ecclesiastico, & latè probat Rayn. c. 10. à n. 7.; quod autem sit invendibilis etiam Jure divino & naturali, diximus tanquam probabilius n. 118.; si tamen talis Præbenda five Jus ad fructus auctoritate Papæ (qui solus id potest) separaretur ab Officio, ita ut fructus non amplius solvi deberent ratione Officii, sed ex alio titulo vel causa, v. g. ob liberalem donationem Papæ propter obsequia temporalia Ecclesiæ præstata &c. tale Jus percipiendi fructus, pretio temporali emi-
ac vendi posset etiam laico, uti rectè Suar. c. 24. n. 23. & 25. Less. de Just. L. 2. c. 35. n. 19. Rayn. à n. 13.

An pensio fit aliquid spirituale aut vendi possit, dicetur Lib. 4. n. 1118. & 1172.

124 Q. 26. An sit Simonia vendere vel locare Decimas aut fructus beneficiorum. R. §. 1. Si per Decimas intelligantur ipsi fructus, qui ex alieno fundo colliguntur, v. g. frumentum, vinum, certum est, quod liceat hos vendere vel elocare alteri pro annua pensione, quia nihil sunt spirituale, nec de se spirituali annexum: si autem per Decimas intelligatur Jus directum decimandi, hoc Jus est